

quæ gregi præire, et præesse possint, præficiantur. Quæ vero in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatæ virtutis, et sanctitatis conferantur. Quoad ea vero Monasteria, quæ Capita sunt, ac Primates Ordinum, eadem Tridentina Syn. decrevit, ut teneantur illi, qui in præsentem eam in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam sollemniter profiteri, aut iis cedere: alias commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur. Saluberrima hæc Tridentina sanctio haud omni ex parte effectum habuit. (**). Apud Cantabros enim in Hispania laici Commendatas adhuc habent Ecclesias, seu ut ipsi vocant, Monasteria: *Leg. II. Tit. XXXII. Fori de Vizcaya.* Tum et in Equestri Ordine S. Joannis Hierosolymitani, ac in quatuor Militaribus S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, et Montesæ, et aliæ, quorum inter Fratres plures tributæ sunt Commendæ reddituum Ecclesiasticorum; verum hi conjugati licet, merè laici non sunt, sed potius Regulares, quum in plerisque Regularium privilegiis fruuntur; tametsi in id Commendarum genus acriter invehatur Jo. Mariana Hist. Hisp. *Lib. XXVI. cap. 5. (*)*

VIII. Et quidem jure hodierno Monasteria (iis exceptis, quæ Capita sunt Ordinum, ut in Regno Neap. Montis Casini, et Montis Virginis) quæ suos habent conventus, olim commendata, adhuc Clericis sæcularibus in commendam traduntur perpetuam, onere duntaxat adjecto congruam pro mensa conventuali portionem segregandi monachis adtribuendam. Quæ verò monachis destituta sunt, uti per plura in Regno Neap. præsertim Benedictinorum, Clericis sæcularibus in commendam perpetuam à R. Pontificibus conceduntur, cum libera proventuum administratione, haud secus ac essent veri beneficiarii, et titulæres.

IX. Commendatarii igitur, tanquam veri beneficiarii 1. Liberam habent proventuum administrationem. 2. Dant Dimissorias ad Ordines æque, ac ordinarii Monasteriorum Superiores. 3. Ad beneficia præsentant, tum et conferunt, atque eligunt. 4. In Gallia ad sacros ordines intra annum suscipiendos coguntur; adhuc et in Italia, alibique, ubi commendis animarum cura vel monachorum, vel sæcularium adnexa sit, et ad sacros ordines suscipiendos, et ad residentiam adiguntur. 5. Commendæ non secus ac verum beneficium non potest cum alio beneficio permutari. 6. Commendis æque ac Beneficiis Pensiones imponuntur. 7. Commendatarius Monasterii perpetuus, licet Regulam Ordinis, quæ in eo monasterio viget, non profiteatur, habet tamen in monachos eandem potestatem, quam haberet, si ex verò titulo beneficium possideret. 8. Demum in Regno Neap. sicuti Beneficia, ita et Commendæ non nisi Regnicolis conferendæ; (**). id quod in Hispania etiam obtinere videtur ex *Leg. XIV. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* ac præsertim post novissimum Concordatum an. 1753. (*) Igitur inter Commendam, et Titulum, si ve Beneficium effectu nihil pene interest.

X. Haud tamen inde inferas Beneficia Regularia Commendata omnem primigeniam naturam exuere. Adhuc enim hodierno jure Commendæ non nisi à R. Pontifice et quidem *dispensative*, ut ajunt, conceduntur, et provisio per commendam dicitur *dispensatoria*, ex *extraordinaria*. Unde licet Episcopi beneficia etiam reservata aliquando conferant, beneficia tamen commendata nunquam conferre possunt. Quum enim primigenia eorundem natura inspecta Regularia sint, profecto nova quædam Pontificia dispensatio, ut Clerico sæculari iterum commendari possint, requiritur, licet alioquin jam inde pluribus abhinc sæculis Clericis sæcularibus in commendam perpetuam conferri consueverint. Plures quidem Canones præscribunt Beneficia Regularia non nisi Regularibus, et Sæcularia Sæcularibus conferenda; verum huic Canonum læsioni opportune medetur

dispensatio Pontificia. Demum beneficia monasterio commendato adnexa perpetua non sunt, sed ad nutum mobilia ob insitam regularibus beneficiis mobilem naturam. Ejusmodi sunt beneficia, quæ ab Abbate commendatario Præceptorie generalis Neapolitanæ S. Antonii Viennensis hoc in Regno passim conferuntur Clericis etiam sæcularibus, non in titulum perpetuum, sed administranda ad beneplacitum ipsiusmet Abbatis conferentis, exceptis tamen curatis, et electivis.

XI. Hæc Abbatia Jo. Baptistæ Victorio primum à Paulo V. commendata fuit; dein et ab Urbano VIII. Card. Magalotto, ablato etiam Monasterio Viennensi omni jure in eandem: cui tamen pro sustentando Procuratore generali in Curia R. Præceptorie S. Antonii civitatis Sarnensis assignata est. Tum qui secuti sunt R. Pontifices eam deinceps Neap. Archiepiscopis commendarunt cum potestate ordinaria conferendi omnia beneficia ubilibet intra regnum consistentia sub titulo S. Antonii, cum libera, et simplicia, tum de jurepatronatus, et curata: Clemens VII. *Cons. II. §. 19.* et Sac. Congreg. apud Rigantium *Reg. IV. §. 4. n. 20. et 57.*

CAPUT VIGESSIMUM SECUNDUM.

DE PENSIONIBUS.

I. Pensionis vocabulum civili Romanorum jure præstationem potissimum significat, solutionemve certis temporibus, et portionibus divisam: *Leg. III. §. 13. Dig. de Statu lib.* ibidemque primam, sequentem, et tertiam pensionem observare licet. At jure Canonico *Perceptionem* denotat portionis fructuum alieni beneficii, legitima auctoritate, legitimaque de causa alicui Clerico concessa.

II. Antiquissima Pensionum exempla habemus in Concil. Chalced. ubi Act. X. Domino primum Episcopo Antiocheno, dein in Synodo deposito, certi sumtus ex redditibus Ecclesiæ Antiochenæ à Maximo in ejus locum ordinato alimonie causa quotannis solvendi assignantur. Tum Act. XII. Bassiano, et Stephano de Sede Ephesina contententibus exclusis, ducenti solidi aurei quotannis ex Episcopatu pendendi constituuntur. Denique Act. XIV. Athanasius Ecclesiæ Perrhenorum restituitur, rejecto Sabiniano, qui eandem invaserat; at simul decernitur, ut Sabinianus pascatur secundum facultatem S. Perrhenorum Ecclesiæ.

III. Profecto in his, aliisque veteribus Pensionum exemplis, quorum haud pauca apud S. Gregorium M. aliosque VII. et VIII. sæculi Scriptores occurrunt, jura observare: 1. Pensiones fuisse assignatas alendæ pacis, et concordie causa, vel ut ejectus de Ecclesia haberet, unde vitam transigeret.

2. Pensionem pro eo, ac necessaria Pensionarii alimenta, et Ecclesiæ, cui imponebatur, facultates ferebant, statui consuevisse.

3. Pensioni aestimandæ necessario fuisse requisitam Papæ, vel Synodi auctoritatem, et ad sensum. Pensionum usus hisce conceptus limitibus haud improbandus.

IV. Jam verò secutis temporibus, et præsertim quum schisma Avenionense vigeret, res à pristino statu mirum quantum degeneravit. Nam 1. inde Episcopi occasionem nacti sunt unius Præbendæ titulum duobus simul largiendi, qui illam inter se partirentur: at Beneficiorum sectio legibus Ecclesiasticis nunquam non vetita: (**). Syn. Vallis-olet. *Cap. IX. (*)*

2. Sæpe ea fructuum portio Beneficio subtracta, et Pensionario assignata est, ut titulato vix reliquum esset, unde moderate, et frugaliter viveret, quum eodem tempore, qui otio torpebant, divitiis adfluere.

3. Quæ de re plerumque parvi pretii homines ad regendas Ecclesias adsum-

bantur, qui neque doctrina, neque auctoritate satis suo muneri facere valerent.

4. Interdum beneficium quis suum alteri resignabat, et fructus retinebat, nulla justa, nulla necessaria causa id poscent: plane contra Apostoli præceptum, quo jubetur, ut qui Altari servit, de Altari vivat.

5. Nonnunquam fieri solebat, ut Parochiæ, aliaque beneficia vicariis locarentur ad annuum censum, etiam ad tempus, puta ad septennium: unde oriebatur, ut competitores certatim convolarent, qui censum sponderent majorem.

6. Vetita beneficiorum pluralitas pensionum pallio tecta: ad eam enim dissimulandam beneficia resignabantur, at pensionibus retentis, quæ plerumque fructuum modum superabant: *ita ut nequissimi, et ignavissimi conductores cogerentur sæpissime beneficio, et officio divino sese suffurari, et aufugere, ut quæstus quopiam alio etiam sæculari vitam tolerarent:* Monachus Sandionysianus *Lib. I. cap. 2.*

7. Demum quinam sacra supellex, pro eo ac decet, parari, vel refici, aut ornari Ecclesiæ, vel sartæ tectæ haberi poterat? quinam hospites, aut pauperes excipi, ubi præcipui redditus Pensionario reservandi erant? Videsis Thomass. *de Vet. ac Nov. Eccl. Disc. P. III. Lib. II. cap. 31.*

V. Porrò hæc, aliaque ex pravo Pensionum usu diffluentia mala primum à IX. Viris consultis à Paulo III. pro instauranda Ecclesiæ disciplina in Responsione ad eundem Pontificem exposita, tum deinde in Synodo Tridentina à nonnullis Episcopis præcipue verò ab Regis Galliæ Oratoribus refricata, in causa fuere, cur in eadem Synodo de Pensionum usu prorsus abolendo ageretur. Veruntamen licet omnino abolitus non sit, certis tamen quibusdam limitibus est circumscriptus. Namque *Sess. XXIV. Ref. cap. 13.* vetitum est, ut *in posterum omnes Cathedralis Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, et Parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundum verum annum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.* Tum pensiones ad primigeniam sui institutionem redactæ sunt; scilicet, ut per eas, tanquam per quasdam eleemosynas, pauperibus Clericis subveniretur. Istud licet in Decreto Synodico expressum non sit, constat tamen, tum ex Responsione Pii IV. ad Regem Galliarum, tum ex ejusdem Concilii Actis apud Pallavicinum *Lib. XVIII. cap. 6.* Neque simile verò est aliam fuisse de Pensionibus Synodi mentem, quam quæ à IX. Viris Paulo III. exhibita fuerat, sacris Canonibus, et reddituum Ecclesiasticorum indoli conformis.

(**) VI. Ad Hispanias quantum atinet saluberrimo Concilii Trident. Decreto suum addidit Syn. Compost. an. 1565. *Act. III. Cap. 41.* quæ post recensitas abusiones, quas execrabilis invexerat cupiditas, hæc subdit: *Quæcunque de re hac a Sacro Tridentino Concilio constituta sunt, ea Prælati severe, ac diligenter exsequantur.* Verum iteratæ, atque importunæ pro Pensionibus adsequendis interpellationes, priorem Pensionum concedendarum usum renovarunt. Reges nostri, qui huic abusioni exterminandæ animum intendentes, decreverant, ne Pensiones Hispanis Beneficiis impositæ, exteris hominibus conferrentur, neque imponerentur Præbendis Theologali, aut Doctorali *Leg. XVIII. et XXV. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* id etiam cautum voluere, ne exteri personam alterius Hispani hominis inducentes Pensionum titulos adsequerentur *Leg. XXIV. ejusd.* Nihilominus nedum non extinctus Pensionum usus, sed et multiplicia invecta sunt Pensionum concedendarum genera. Hac verò re in Comitibus dedita opera pertractata, Legati à Philippo IV. ad Urbanum VIII. pro Pensionibus abolendis misi sunt an. 1633. Nihil non egere, ut Romana Curia à Pensionibus, Curatis præsertim Bene-

ficiis imponendis abstereret. Solidissima, quæ exhibuerunt momenta eluere, sed irritò plane conatu ausus est Vir Cl. Maraldi à Secretis Brevium R. Pontificis; petitionis enim æquitatem iteratis litteris pleno in lumine collocarunt Legati Dominicus Pimentel, et Joannes Chumacero. Res nihilominus infecta remanuit *Sanct. IV. n. 11. Tit. I. Lib. IV.* vulgò *Autos Acordados;* donec silentibus nunquam Hispanorum Principum querelis Innocentius XII. Datarie ministris injunxit, ne ullum Curatum Beneficium Pensione gravarent. Res ista simul ad Carolum II. Regem nostrum delata est, amplissimas per suum Legatum R. Pontifici gratias egit, quin et sperare se dixit, Pontificem, uti erat æqui bonique consulens, decreturum tandem, quod ne ullis quidem Beneficiis ulla adjiceretur Pensio. Addeis *Sanct. III. Tit. III. Lib. I.* vulgò *Autos Acordados.* (*)

(**) VII. Innocentii XII. mandatum renovavit Benedictus XIII. die 25. Septemb. an. 1724, sed Pensionum Beneficiis non Curatis imponendarum usus extinctus non est, usque dum novissima Concordati lege an. 1753. quo Hispaniæ Beneficiorum Patronatum Catholico Regi Sedes Apostolica cessit, libera omnis Pensionum imponendarum facultas etiam in quinquaginta duobus reservatis cessavit ex *Art. VIII.* ejusd. Concord. nisi Regis, qua Patroni consensus adsequatur, id quod evincitur ex *Leg. V. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* Demum jus etiam obtinent Reges nostri, inolita consuetudine roboratam, pensiones imponendi Archiepiscopatibus, et Episcopatibus. Videsis *Adnot. 12. ad Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* (*)

VIII. Jure hodierno Pensiones non nisi quatuor de causis imponi solent; 1. scilicet, quum Clerico morbo, vel senio laboranti, ac beneficium dimittenti, alimentorum nomine reservetur.

2. Si Clerico indigenti, Ecclesiæque satis utili, ut inde honeste vivere queat, concedatur, quæ tamen titulo oneri non sit. Hæc duæ priores pensionum imponendarum causæ, quæ ad veterem, purioremque Ecclesiæ disciplinam satis accedunt, minime improbandæ, dum juxta leges in Synodo Chalcedonensi servatas constituentur.

3. Quum ad dirimendas lites, ex duobus de beneficio contententibus, uni beneficium in titulum, alteri pensio tribuatur: *Cap. 7. de Transact. Cap. 21. de Præbend. et Dignit.*

4. Demum, quum in causa permutationis pensio retineatur ad compensandam summam fructuum dimissi beneficii cum fructibus tenuioribus beneficii commutati: *Cap. 6. de Rerum permutatione.*

IX. Porrò in Pensionibus imponendis legitima omnino requiritur causa: id quod tum ex pluribus, tum vel maxime ex eo evincitur, quod pensionis concessio, tanquam juri communi adversa, dispensationis genus sit. Et sane in Libris Decretalium titulus prostat in hanc sententiam inscriptus: *Ut Ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur.* Qua de re Pensionario plura cavenda sunt; præsertim ubi de tertia, et quarta agatur pensionis imponendæ causa. Et 1. quidem, si de pensione bono pacis imponendæ sermo sit, omnino cavendum est, ne ex pacatione partium constituatur; id quod simoniam saperet: *Cap. 7. de Transactionibus.* Et in *Cap. 21. de Præbendis,* ubi hæc pensionis species probari videtur, disertè scribit Innocentius III. *Nisi essent viri providi, et honesti, tam qui ordinationem fecerunt, quam illi, circa quos est facta ordinatio, illam valde suspectam propter exempli perniciem haberemus.* Attamen in eadem Decretali narratur, Delegatos ejusd. Pontificis Judices expresse fassos fuisse, *se pro bono pacis, et utilitatis hoc ordinasse, idque post concertationem diutinam: non quidem ex pacatione partium, sed ex jussione judicum provisionem illam fuisse exhibitam.*

2. In causis etiam Resignationis, et Permutationis quam cautissime incedendum est: neque enim hæc legitime constituendæ pensionis causæ sunt, nisi necessitatis, aut utilitatis Ecclesiæ intuitu id fiat; omnisque lucri, alteriusve commodi temporalis prætextus præcidendus est: Syn. Oxon. *Can. III.* Non desunt enim, qui beneficium dimittunt, pensione retenta, vel ut ab muneris Ecclesiastici onere Beneficio adnexo se extirpent, ipsius tamen Beneficii redditus participant; vel ut majorem Præbendam obtineant: *Quod quidem* (ait Urbanus III. in Cap. 5. de Rerum permutatione) *honestati est contrarium, et simoniacam proculdubio continet pravitatem.*

3. Illud præterea animo revolvat Pensionarius; num scilicet pensionem instar elemosinæ accipiat; an aliquid inde Ecclesiæ titulatæ detrimentum adferatur; an demum pauperes ex Beneficii redditibus alendi fame pereant, dum ipse nimis laute secum agit? Paucis primigeniam honorum Ecclesiasticorum indolem mente recogitet: scilicet *vota esse fidelium, patrimonia pauperum, animarum redemptionem*: Syn. Vernensis *Can. XII.* Enim verò Fideles suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his et milites Christi alerentur, et Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, et captivi pro temporum opportunitate redimerentur.

4. Neque ob Papæ hac in re dispensationem immunis erat à culpa Pensionarius, quum justa defuerit causa: tum quia ut docet S. Thomas Secunda Secundæ Quæst. C. art. 1. ad 7. *Quamvis res Ecclesiæ sint ejus, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut domini, et possessoris.* Quare uti docet Card. Toleros Lib. V. de Instruct. Sacerd. cap. 83. *qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit, et ipsorum est considerare, quomodo dederit.* Tum etiã, quod fieri potest, ut pensio justè à Superiore concedatur, quum tamen pensionarius injustè accipit.

5. Tandem in Pensionario æque ac in Beneficiario Clericatus requiritur; atque adeo pensionarius tenetur quotidie Officium B. M. V. recitare: Pius V. in Constit. *Quum sacrosancta* in Bull. R. n. 92. Indeque colligunt Canonistæ Pensionem æque ac Beneficium per contractum matrimonialem extinguì; idque usu servari tradit Gigas de Pensionibus quæst. 51.

X. Demum auctoritatem quod spectat, jure hodierno pensiones non nisi à R. Pontifice imponi posse, passim docent Canonistæ. At non desunt, qui etiam Episcopis, saltem certis in speciebus, eandem vindicant potestatem; quorum sententia usu recepta est. At verò distinguendum inter pensionem à R. Pontifice, et pensionem ab Episcopo impositam. Illa enim ipsi Beneficio, sive Beneficii proventus imponitur; unde videtur quedam Beneficii sectio legibus Ecclesiasticis vetita; at verò hæc non nisi beneficiarium adficiat, cujus morte extinguitur, nec in ejus successorem transfertur: Garcia de Beneficiis P. I. Cap. V. §. 2. Andreas Vallensis de Beneficiis Lib. IV. Tit. 2.

XI. Postremo ex parte ipsius Pensionis plura servanda sunt. 1. Iis tanquam modo Ecclesiis Cathedralibus, et Parochialibus Pensiones imponi possunt, quorum redditus, detracta Pensione summam ducatorum mille, si Cathedrales, et summam ducatorum centum, si Parochiales sint, conficiant: Syn. Trident. *Sess. XXIV. Ref. cap. 13.* Quamobrem Curia R. in signaturis pensionum Beneficiis Parochialibus impositarum ex stylo hanc adnectit clausulam: *Dummodo ex fructibus dictæ Ecclesiæ centum ducati liberi pro illius Rectore pro tempore existente annuatim remaneant.*

2. Summam ducatorum centum ex fructibus certis computandam, haud verò incertis: naturam enim alimentorum sapiant, *nec venter debet pendere ab incerto*: Pirrhus Conradus Lib. V. cap. 1.

3. Beneficiis Jurispatronatus laicalis Pensionis onus imponi nequit, nisi Patroni accedat consensus; quod de Beneficiis Jurispatronatus mixti etiam intelligendum esse consentiunt Canonistæ post Glossam in *Cap. unic. de Jurepatr. in VI.*

4. Licet olim Pensionis quantitas definita non fuerit; tamen usu hodierno ad tertiam proventuum Beneficii partem restricta videtur: verum aliquando in Beneficiis simplicibus ex stylo R. Curie ad medietatem usque etiam admittitur: quod tamen ita intelligendum, ut Beneficiarius congrua portione non fraudetur.

5. Demum Pensionem certis tantummodo Beneficii redditibus imponendam, haud verò distributionibus, docent Canonistæ, et stylus Curie R. observat, nisi aliter ex gratia sanciat, quo casu expresse in signatura additur Clausula: *Etiã si in solis distributionibus &c.*

CAPUT VIGESSIMUM TERTIUM.

DE COLLATIONE.

I. Triplex potissimum jure Canonico agnoscitur via, qua Beneficium quis consequi potest; nimirum *Collatio, Institutio, Electio.* De Electione satis Lib. I. Tit. XIX. de Institutione mox titulo sequenti sermo redibit: de Collatione sic proprie dicta hoc titulo dicere adgredimur.

II. Æque Collationis, ac Institutionis vocabula veteribus ignota. Quum enim antiquitus nemo ordinari consueverit, qui simul et alicui Ecclesiæ non addiceretur, et jus non acquireret ex ejusdem Ecclesiæ redditibus vitam transigendi; hinc satis erat Ordinationis vocabulum, quo uno et Ordinis Collatio, et Ministerii addictio, et Beneficii, sive juris redditus Ecclesiasticos percipiendi traditio significaretur. Quum verò ab Ordinatione Beneficii traditio sejuncta est, *Collationis* nomen usurpari cœpit; quod quidem late sumtum omnem, et quamcunque Beneficii concessionem indicat, stricte verò ea tantummodo denotat, quæ in Beneficii fit liberis, quæ scilicet à Collatore proprio jure conferuntur; in quo ab Institutione distinguitur, quæ beneficia jurispatronatus respicit.

III. Olim Beneficiorum collatio ad solum spectabat Episcopum, æque ac Ordines conferre solius Episcopi jus erat: Conc. Lateranense I. *Can. III. et VII. Secundum Apostolorum Canones omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Praepositus, vel Decanus animarum curam, vel præbendas Ecclesiæ sine judicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat.* Et Alexander III. *Cap. 3. de Institutionibus* decernit, evellendam radicibus pravam consuetudinem, *quod Clerici Ecclesiastica Beneficia sine consensu Episcopi Diocesis, vel Officialium suorum, qui hoc de jure possunt, recipiant: minus quod decet cogitantes, quomodo id a Sanctorum Patrum est institutionibus alienum.* Recte duabus hisce Ecclesiasticis sanctionibus antiqui Canones, et sanctorum Patrum institutiones memorantur; jam inde enim ab Apostolorum ævo illa semper in Ecclesia viguit consuetudo, veterum Conciliorum Canonibus firmata, ut omnes Diocesanos Ecclesiæ cum suis redditibus, decimis, oblationibus, aliisque quibuscunque juribus in Episcopi essent potestate: Conc. Antiochenum *Can. XXIV.* Aurelianense I. *Can. XVII.* Cabilonense I. *Can. XLII.* Moguntinum an. 813. *Can. VIII.* Turonense *Can. XVI.* &c. (**)